

Albatignius cap. 50. sui operis, certis rationibus ostendit, distantiam Solis a centro terræ, quando minima est, id est, quando in Augis opposito existit sol, continere 1070, terræ semidiametros; distantiam vero Lunæ a centro terræ, quædo ea maxima est, id est, quædo Luna in Auge existit, continere duntaxat 64 semidiametros terræ. Unde differentia inter minimam Solis distantiam, & maximam Lunæ continebit terræ semidiametros 1006. (Tantum enim relinquitur, subtracta maxima Lunæ distantia a minima Solis.) Cum igitur inter calum Lunæ, ac calum Solis vacuam concedi non possit, cum a vacuo natura abhorreat; neque rationi consentaneum sit, deferentes angium Solis & Lunæ tanta esse mole præditos, cum prorsus tanta moles esset inutilis & superuacanea, iure optimo, & conuenientissime tantum spatium intermedium tribuetur orbibus Mercurij ac Veneris.

ACCEDIT etiam, quod motus Solis est regula, & mensura motuum aliorum planetarum, alia atq; alia ratione. Mars etenim, Iuppiter, & Saturnus ratione epicycli cum Sole in motu conueniunt: Luna vero, Mercurius, & Venus in deferentibus orbibus motui Solis conformantur, vt in Theoricis planetarum explicatur. Quare haud iniuria Sol in medio horum collocabitur, vt superiores tres planetas ab inferioribus tribus segreget, quandoquidem non eadem ratione uniformitatem motus cum Sole obseruant.

HIS RATIONIBVS addi potest, quod Sol est rex, & quasi cor omnium planetarum, quare non immerito in medio illorum constituetur, quemadmodum rex in medio regni, & cor in medio animalis collocatur, vt omnibus inde membris equaliter possit succurrere ac pro uidere. Præterea quoniam secundum Astronomos, & philosophos, omnes stellæ, & planeta lumen suum a Sole recipiunt, saltem perfectius; vt clare videmus in eclipsi lunari, in qua Luna ob ingressum in umbram terræ lumen suum amittit; Et præterea diuersis temporibus diuersimode illuminatur a Sole: Modo namq; apparet corniculata, modo medie illuminata, modo videtur plena & c. quod non accideret, si lumen ex se haberet. Simile iudicium habeto de alijs stellis; Sunt enim eiusdem cum Luna naturæ. Quod etiam ex eo probari potest, quod videamus planetas, qui sunt propinquiore Soli, vehementius illuminari, vt apparet in Marte ac Venere. Quapropter, vt æquabiliter Sol lumen suum omnibus planetis, ac stellis impertiret, in medio
illorum